

*Fui mortuus
et ecce sum vivens in sæcula sæculorum.*

Léctio libri Apocalýpsis
beáti Ioánnis apóstoli

1, 9-11 a. 12-13. 17-19

⁹ **E**go Ioánnes, frater vester
et párticeps in tribulatióne et regno et patiéntia in Iesu,
fui in ínsula quæ apellátur Patmos,
propter verbum Dei et testimónium Iesu.
¹⁰ Fui in spírítu in domínica die
et audívi post me vocem magnam
tamquam tubæ ¹¹ dicéntis:
«Quod vides, scribe in libro
et mitte septem Ecclésiis quæ sunt in Asia».

[11b]

¹² Et convérsus sum,
ut vidérem vocem, quæ loquebátur mecum;
et convérsus vidi septem candelábra áurea
¹³ et in médio candelabrórum
quasi Fílium hóminis,
vestítum podére
et præcínctum ad mamíllas zonam áuream.

[14-16]

¹⁷ Et cum vidíssem eum,
cécidi ad pedes eius tamquam mórtuus;
et pósuit déxteram suam super me dicens:
«Noli timére!
Ego sum primus et novíssimus, ¹⁸ et vivens
et fui mórtuus
et ecce sum vivens in sæcula sæculórum
et hábeo claves mortis et inférni.
¹⁹ Scribe ergo, quæ vidísti
et quæ sunt et quæ opórtet fieri post hæc».

Verbum Dómini.